



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **VRATISLAVIENSIS-GEDANENSIS*** NOVA
CONSTITUITUR EPARCHIA VRATISLAVIENSIS-GEDANENSIS

RITUS BYZANTINI UCRAINORUM «Ecclesia catholica affirmat duobus milibus annorum historiae sua se esse in unitate servatam cum omnibus bonis, quibus Deus Ecclesiam suam donare vult: et hoc, quamquam multa fuerunt discrimina » (*Ut unum sint*, 11). Supremo Dominici gregis regendi munere fungentes, conamur Ipsi varia ratione omnium christifidelium unitatem et spiritale bonum provehere. Quam ob rem summa Apostolica Nostra potestate, novam condimus Eparchiam Vratislavensem-Gedanensem ritus Byzantini Ucrainorum appellandam, cuius Sedem in urbe Vratislavia ponimus, quamque novae Archieparchiae Metropolitanae Premisiensi-Varsaviensi ritus Byzantini Ucrainorum subicimus. Noviter instituta Eparchia constat decanatibus Vratislaviensi, Coslinensi et Viridimontanensi, nec non paroecisi Glivicensi et Katovicensi (ex decanatu Cracoviensi-Crynicensi), atque Gedanensi (ex decanatu Elbingensi), ex Eparchia Premisiensi ritus Byzantini Ucrainorum distrahendis. Nova Eparchia Vratislaviensis-Gedanensis seiungitur ab Archieparchia Metropolitana Premisiensi-Varsaviensi flumine Vistula. Ob rationes tamen pastorales, fideles urbium quae prope idem flumen incolunt, secundum fines civiles pertinent ad Archieparchiam Metropolitanam. Templum dicatum Exaltationi Sanctae Crucis et Sancto Iosaphat Martyri in ipsa urbe Vratislavia extans ad gradum et dignitatem Ecclesiae cathedralis evehimus, eique insignia, privilegia et honores tribuimus quibus ceterae in orbe catholico Cathedrales Ecclesiae fruuntur. Quod vero attinet ad novae Eparchiae regimen, fidelium iura et onera aliaque id genus, quae Corpus Canonum Ecclesiarum Orientalium praescribit adamussim serventur. Quae vero iussimus ad effectum rite adducantur deque absoluto negotio sueta documenta exarentur et ad Congregationem pro Ecclesiis Orientalibus mittantur. Has denique Litteras Nostras firmas esse nunc et in posterum volumus, quibuslibet rebus haudquaquam obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die primo mensis Iunii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo sexto, Pontificatus Nostri duodevicesimo.*

ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status

ACHILLES card. SILVESTRINI

Congr. pro Ecclesiis Orient. Praef.

Angelus Lanzoni, *Protonot. Apost.*

Achangelus Moscone, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. LXXXVIII (1996), n. 10, pp. 795-796 © Copyright 1996 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana